



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio quarta. Vtrum virginitas sit præferenda matrimonio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Magistri Durandi de
QUESTIO QUARTA.

Vtrum virginitas sit preferenda matrimonio.

Tho. 22. q. 152. ar. 4.

Quarto queritur de virginitate vtrum sit preferenda matrimonio. Videtur q̄ non, quia bonū persona priuata non est preferendum bono communi, sed potius e conuerso: sed virginitas est bonum priuatae personae, matrimonium autem est bonum commune, quum ordinetur ad conseruationem speciei, ergo virginitas nō est preferenda matrimonio.

2 Itē Augustinus dicit libro de bono coniugali, q̄ nō impar est meritum continentiae in Ioanne qui nullas est expertus nuptias, & in Abraham qui filios genuit, sed maioris virtutis est maior meritum, ergo virginitas non est maior virtus quam castitas coniugalis.

3 IN Contrarium est, quia melius est illud quod confulitur, quam illud quod solum indulgetur: consilium enim est de maiori bono, indulgentia verō de minori, sed virginitas confulitur, matrimonium verō indulgetur, vt patet per Apostolum. 1. Corinthiorum. 7. ergo virginitas est melior matrimonio.

4 Item illud est melius cui debetur maior fructus, sed virginitati debetur fructus centesimus, matrimonio solum trigessimus, ergo &c.

5 **RESPONSI**O. Videnda sunt duo. Primum est, an virginitas sit bona. Secundum an sit matrimonio preferenda.

6 Quantum ad primum aduertendum est q̄ aliquid est bonum secundū se, aliquid verō per accidens, vel propter aliud, quia scilicet remouet id quod est malum vel disconueniens. Primo modo cibus bonus sanus est corpori. Secundo modo medicina. Dicendum ergo q̄ virginitas non est bona primo modo, sed secundo modo. Quod patet tripliciter. Primo sic. abstinere ab eo quod est secundū se conueniens & bonum nō potest esse bonū de se, sed per virginitatē abstinetur a matrimonio quod est secundū se bonum, ergo virginitas nō est bona de se, est tamen bona vt medicina: matrimonium enim propter distractionem mentis & curas adiunctas reddit hominē quasi infirmum ad vacandum contemplationi diuinorū, virginitas autē hęc impedimenta tollit quasi medicina, quare &c. Secundo sic: illud non est bonū secundū se sed solum per modum medicinae quod non fuisset bonum in statu naturae sanae, sed virginitas nō fuisset bona in statu innocentiae, in quo natura fuit sana, est autē bona in statu naturae infirmę, ergo &c. Tertio sic: sicut se habet ieiunare ad comedere, sic virginitas ad matrimonium, sed comedere adhibitis debitis circumstantiis est bonū secundum se, ieiunare autem nō est bonum nisi per modū medicinae in quantum per ieiunium consumuntur in corpore superfluitates humorū, vel corpus redditur melius dispositum ad actus virtutum moralium per repressionē concupiscentiarum, & per consequens ad actus virtutum intellectualium, ergo similiter virginitas nō est bona secundum se, sed solum per modum medicinae in quantum per eam tolluntur impedimenta quae distrahunt hominem a contemplatione superiorū: ideo dicitur. 1. Cor. 7. mulier innupta & virgo cogitat quę domini sunt vt sit sancta corpore & spiritu.

7 Quantum ad secundum dicendum quod virginitas melior est matrimonio pro statu moderno. Quod patet tripliciter. Primo sic: bonum diuinum est potius bono humano, sed virginitas est bonum diuinum, quum ordinetur ad contemplationem diuinorum vt dictum est, matrimonium verō ad bonum humanum, ergo &c. Secundo sic: bonum animę preferendum est bono corporis, sed virginitas est bonum animę cum reddat hominem expeditum ad actus, matrimonium verō est bonum corporis, ergo &c. Tertio patet idem exemplo Christi qui virginē matrem elegit, & virginitatem in se seruauit, & autoritate Apost. 1. Cor. 7. vbi dicit. qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui nō iungit melius facit. propter quod dicit Aug. lib. de Virginit. Certa ratione & scripturarum sanctarum autoritate nec peccatū esse nuptias inuenimus, nec eas bono vel virginis continentiae vel etiam vidualis æquamus. Ex prædictis possumus concludere quod cū virginitas non sit bona de se, sed per modū medicinae: in quo tamen preferitur matrimonio quatenus

Sancto Porciano

reddit hominem magis expeditum ad cōtemplationem diuinorum, quicunq; vouet virginitatem nisi sit amplius deuotioni deditus quam existens in matrimonio, talis est imperfectior imperfectione personali, licet sit in statu perfectiori.

8 Ad primum arg. dicendum quod bonum commune potius est bono priuato quādo sunt eiusdem generis, sed bonum priuatum potest esse melius bono communi alterius generis: & hoc modo virginitas propter Deū assumpta preferitur sacunditati carnali matrimonij, potissimē cum bonum cōmune ad quod ordinatur matrimonium per multos sufficienter expleatur.

9 Ad secundum dicendum q̄ meritū nō solum perfatur ex genere actus exterioris sed magis ex animo operantis: habuit autem Abraham animū sic dispositum vt paratus esset virginitatem seruare si in tempore suo fuisset congruum, ex quo meritum continentię virginis in ipso æquatur merito cōtinentię virginis in Io. respectu præmij substantialis non autem respectu præmij accidentalis, quod responderi difficultati operis exterioris, sicut dicimus de martyrio Petri quod sustinuit in opere, & quod Ioannes habuit in voluntate.

Sententia huius distinctionis. X X X I I I I.
in generali & speciali.

Nunc superest attendere. Superius determinauit Magister de matrimonio quantum ad eius institutionem, significationem, & ad eius causam efficientem & finalem, & quantum ad eius bona, hic determinat de eo quantum ad causam materialem, scilicet quantum ad personas contrahentes. Et diuiditur in duas. Primo determinat de impedimentis matrimonij quae non faciunt personas penitus illegitimas ad contrahendum. Secundo de illis quibus penitus persona illegitime redduntur. Secunda. 37. distinct. ibi. Sunt igitur quidam ordines. Prima in tres. Primo determinat de impedimentis praecedentibus matrimonium, scilicet de impedimento frigiditatis. Secundo de impedimentis superuenientibus post matrimonium iam contractum, sicut est fornicatio, quae est causa diuortij. Tertio de impedimentis incidentibus in actu contrahendi, scilicet de seruitute. Secunda. 35. distinct. hoc enim notandum est. Tertia distinctio triplex nunc de conditione. Prima est principalis lectionis, & diuiditur in tres. Primo profertur de impedimentis personarum matrimonij contrahentium in generali. Secundo descendit specialiter ad impedimentū de quo agere intendit. Tertio de quibusdā impedimentis superuenientibus matrimonio iam contracto. Secunda ibi, de his autē qui causa frigiditatis. Tertia ibi, de his qui cum duabus fororibus. Secunda illarum diuiditur in tres. Primo determinat de impedimento quod est in potentia cōmuni diuiniens ex frigiditate. Secundo de impedimento quo aliquis impotens redditur ex maleficio. Tertio de impedimento quo aliquis impotens redditur ad consentiendum in copulam coniugalem, sicut est furia. Secunda ibi, De malefici impedimento. Tertia ibi, Furiosi quoq;. Tertia pars principalis, in qua determinat de superueniente impedimento, diuiditur in duas: quia primo determinat de impedimento culpae. Et secundo de impedimento poenae, quod est aliquis corporalis defectus. Secunda ibi, Illud etiam sciendum est.

2 IN Speciali sic procedit, & primo proponit q̄ ad matrimonium contrahendum aliqua persona fuerint legitime ante legem, alia sub lege, alia tempore gratiae: quaedam etiā persona in primitiua ecclesia erant legitime quae modo non sunt. Illarum verō quae vel legitime vel illegitime sunt, quaedam sunt pure legitime, vt illae quibus impedimentum aliquod non obuiat, quaedam verō omnino sunt illegitime, vt illae quibus obuiat ordo sacer vel cognatio, vel dispar cultus: quaedam verō sunt mediae quae nec pure legitime sunt, nec omnino illegitime, vt illae quibus obuiat frigiditas vel conditio, tales enim si ignoranter cōiunguntur permanere possunt quibusdam accidentibus causis, vt minima aetate, & eisdem defectibus possunt diuidi. Postea dicit quod illi qui cau-